De

philosophorum Graecorum studiis Homericis.

Part. II.

Scripsit

Dr. Otto Friedel.

Wissenschaftliche Beilage

zum Programm des Gymnasiums zu Stendal.

GYMNASIUM STENDAL BIBLIOTHEK

Stendal 1886.

Druck von Franzen & Grosse.

Progr.-Nr. 234.

95t 16 (1886)

11 44,476

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De philosophorum Graecorum studiis Homericis.

Partic. II.*)

§ 4.

De Heraclito Ephesio.

c. a. 535 — 475.

Summa doctrinae Heracliteae est aequabilitas illa ac necessitas continuae vicissitudinis, qua omnia perpetuo flumine feruntur nec manet quicquam, sed unumquodque fit et ex mutua rerum mixtione et motione nascitur.[1]) Quae rerum mutatio naturae viribus contrariis illis quidem, sed inter se coniunctis efficitur. Propterea haec contrariorum principiorum vicissitudo mutuaque mutatio summum vitae indicium est, quae ubi intermittit, universa simul vita interit. Res enim si fiunt, sunt, si non iam fiunt, non sunt. Quod idem Heraclitus poetice vel per translationem exprimit, cum bellum omnium rerum parentem omniumque regem esse dicit.[2])

Huic sententiae Homerus adversari videtur. Achilles enim Patroclo amicissimo interfecto optat (Σ 107):

ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.

Quibus verbis cum poeta Achillem discordiam, quippe qua ipse in tantam calamitatem sit adductus, omnino exsecrantem faciat, ab Heraclito vehementer eum reprehensum esse permultis locis narratur.[3]) Plutarchus dicit: τὸν Ὅμηρον εὐχόμενον „ἔκ τε θεῶν ἔριν

*) Priore disputationis de phil. Graec. stud. Hom. particula, quae inest in programmate gymnasii cathedralis Merseburgensis a. 1879, agitur de carminum Homericorum condicione cum in Graecorum vita publica ac privata tum in universis philosophorum studiis, de Thalete Milesio, de Pythagora Samio et de Pythagoreis, de Xenophane Colophonio.

[1]) Ritter.-Preller. hist. phil. Graec. et Rom. p. 17, 32 sqq. Lassalle, die Philosophie Heraklits des Dunkeln von Ephesus. I. p. 71 sqq. Zeller. die Philosophie der Griechen. I. p. 530 sqq. 545. 547,1. (ed. III.) Schuster. Heraklit von Ephesus, ein Versuch, dessen Fragmente in ihrer ursprünglichen Ordnung wiederherzustellen, (in: Act. soc. phil. Lips.ed. Fr. Ritschl. III. p. 1—397.) cum aliis locis tum p. 196 sqq.

[2]) Aristot. eth. Nicom. VIII. 2. p. 1155. b. 6. Bekk. secundum Heraclitum πάντα κατ' ἔριν γενέσθαι testatur. Plut. de. Is. et. Osir. c. 48. t. II. p. 517. Wytt.: Ἡράκλειτος . . . . ἄντικρυς πόλεμον ὀνομάζει πατέρα καὶ βασιλέα καὶ κύριον πάντων. Diog. Laërt. IX. 8: τῶν ἐναντίων τὸ μὲν ἐπὶ τὴν γένεσιν ἄγον καλεῖσθαι πόλεμον καὶ ἔριν. Hippolyt. ref. haeres. IX. 9. p. 444,70. ed. Duncker.-Schneidewin.: πόλεμος πάντων μὲν πατήρ ἐστι, πάντων δὲ βασελεύς. cf. Luc. quom. hist. sit conscrib. c. 2. Mullach. fragm. philos. Graec. I. p. 319. Schleiermacher. opp. philos. II. p. 63 sq.

[3]) Plut. de. Is. et. Osir. l. l. Schleierm. II. p. 22. Lassall. I. p. 118. Lauer. Gesch. der hom. Poesie. p. 51. Bernays. die heraklit. Briefe. p. 46. Schuster. p. 196 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπολέσθαι" λανθάνειν φησὶ τῇ πάντων γενέσει καταρώμενον, ἐκ μάχης καὶ ἀντιπαθείας τὴν γένεσιν ἐχόντων. Similiter scholiasta[4]): Ἡράκλειτος τὴν τῶν ὄντων φύσιν κατ' ἔριν συνεστάναι νομίζων μέμφεται Ὅμηρον, σύγχυσιν κόσμου δοκῶν αὐτὸν εὔχεσθαι, et Aristoteles[5]): καὶ Ἡράκλειτος ἐπιτιμᾷ τῷ ποιήσαντι „ὡς ἔρις . . . ἀπόλοιτο". οὐ γὰρ ἂν εἶναι ἁρμονίαν μὴ ὄντος ὀξέος καὶ βαρέος οὐδὲ τὰ ζῶα ἄνευ ἄρρενος καὶ θήλεος, ἐναντίων ὄντων, et Crameri scholiasta[6]): ἰστέον ὅτι κατηγορεῖ ἐνταῦθα Ἡράκλειτος τοῦ ποιητοῦ λέγοντος „ὡς ἔρις ἀπόλοιτο", ὡς ἐκ φιλονεικίας τὸ πᾶν συγκεῖσθαι καὶ σώζεσθαι ἐκεῖνον δοξάζοντα. Atque inprimis Simplicius[7]) Aristotelis interpres laudandus est, qui vel ipsius philosophi verba tradere videtur: οὐ συγχωρήσουσι δὲ ὅσοι τἀναντία ἀρχὰς ἔθεντο, οἵ τε ἄλλοι καὶ οἱ Ἡρακλείτειοι· εἰ γὰρ τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων ἐπιλείπει, οἴχοιτο ἂν πάντα ἀφανισθέντα· διὸ καὶ μέμφεται τῷ Ὁμήρῳ Ἡράκλειτος εἰπόντι „ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο." οἰχήσεσθαι γάρ φησι πάντα. His locis, quomodo philosophi veteres suam saepe ad Homeri carmina admoverint doctrinam, luculentissime illustratur. Heraclitus enim, qui voce ἔριδος, sive ad mores eam rettulit ut Homerus sive non rettulit, sane alia significatione atque ille usus est, ab una hac voce et a discrepante poetae sententia profectus Homerum minime scire contendit, cum illud optet, simul se omnium rerum interitum optare; discordia enim si ex mundo tollatur, omnia fore ut simul tollantur. Haec reprehensio, qua poetae et ignoratio (λανθάνειν φησί) decreti postea excogitati vitio vertitur et sententia, quam nunquam ipse aut habuit aut habere potuit, subicitur, ex ingenio atque indole veterum philosophorum est. Etenim ut quicunque maiore animi intentione et acumine rem verius rectiusque perspexerunt, saepenumero eos, qui prius de eadem re alia eaque minus recta statuerunt vel videntur statuisse, non sine aliqua iactatione reprehendunt et despiciunt, sic illi, quo magis sua se sapientia et industria veriora quaedam invenisse putabant vel invenerant, eo maiore oblectatione his ipsis inventis cum aliorum tum priorum philosophorum vel poetarum sententias metiebantur. Homerum inprimis, poetam sapientissimum, corrigere multis excultioris cuiusdam sapientiae documentum videbatur. Accedit, quod Heraclitus praecipue sua se meditatione, non aliorum disciplina omnia invenisse gloriabatur.[8])

Huic sententiae locupletissimis ac plurimis testibus confirmatae alia videtur repugnare.[9]) Plato enim in Theaeteto[10]) Protagoram Heraclitum Empedoclem, viros sapientissimos, et

---

[4]) schol. Venet. ad. Σ 107. p. 490. b. 37. Bekk. Cf. Eustath. ad. h. l. p. 1133,56: διὸ οἱ παλαιοί φασιν, ὡς Ἡράκλειτος δοξάζων τὰ ὄντα κατὰ ἔριν συνίστασθαι τοῦτ' ἔστι κατὰ μάχην καὶ ἐναντιότητα ποιοτήτων, μέμφεται τῷ ποιητῇ εὐχομένῳ πάντοθεν ἀπολέσθαι τὴν ἔριν. σύγχυσιν γάρ, φησίν, εὔχεται τοῦ κόσμου παντός.

[5]) eth. Eudem. VII. 1. p. 1235. a. 25. Bekk. Cf. Mullach. I. p. 321. Schleierm. II. p. 80 sq. — Lassall. l. l.

[6]) Cram. anecd. Paris. III. p. 24,16. Adde Chalcidium (Tim. p. 396. Meurs. cf. Lassall. II. p. 449, 1.): „proptereaque Numenius laudat Heraclium (l. Heraclitum) reprehendentem Homerum, qui optaverit interitum ac vastitatem malis vitae, quod non intellegeret mundum sibi deleri placere."

[7]) Simplic. in Arist. cat. f. 4. p. 88. b. 30. Bekk. Lassall. I. p. 119. 122.

[8]) Diog. Laërt. IX. 5: αὐτὸν ἔφη διζήσασθαι καὶ μαθεῖν πάντα παρ' ἑαυτοῦ.

[9]) Lassall. I. p. 13 sq.

[10]) p. 152 DE. Sengebusch. dissert. Hom. I. p. 132.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Epicharmum Homerumque, summos poetas, omnes uno ore affirmare prodit nihil esse, omnia semper fieri. Quod quidem Homeri exemplo probat, qui verbis

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν (Ξ 201. 302)

omnia ex rerum quodam flumine et motione originem capere arbitretur (*πάντα εἴρηκεν ἔκγονα ῥοῆς τε καὶ κινήσεως*). Infra Homerus et Heraclitus soli comparantur hisce verbis: *εἴρηται . . . κατὰ μὲν Ὅμηρον καὶ Ἡράκλειτον καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον φῦλον οἷον ῥεύματα κινεῖσθαι τὰ πάντα*. Iidem sine dubio significantur, ubi eam sententiam, qua Oceanus et Tethys omnium rerum origo vocantur, a priscis poetis artis involucris occultatam, a recentioribus sapientibus palam indicatam esse narratur. Homerica et Heraclitea decreta quodammodo inter se cohaerere aperte Socrates contendit, qui Heracliteos ipsos Homericos appellet.[11]) At hoc loco non ipsius Heracliti, sed Heracliteorum sententiam, qui Homerum et Heraclitum illa cognatione inter se coniunctos esse statuebant, a Platone significari ac perstringi apparet. Idem Cratyli loco[12]) probatur. Socrates Hermogeni se ridiculum quiddam, sed fortasse probabile dicturum esse pollicitus *τὸν Ἡράκλειτον*, inquit, *δοκῶ καθορᾶν παλαῖ' ἄττα σοφὰ λέγοντα, ἀτεχνῶς τὰ ἐπὶ Κρόνου καὶ Ῥέας, ἃ καὶ Ὅμηρος ἔλεγεν*. Deinde Heracliti de continua rerum mutatione decreto adumbrato pergit: *δοκεῖ σοι ἀλλοιότερον Ἡρακλείτου νοεῖν ὁ τιθέμενος τοῖς τῶν ἄλλων θεῶν προγόνοις Ῥέαν τε καὶ Κρόνον; ἆρα οἴει, ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου αὐτὸν ἀμφοτέροις ῥευμάτων ὀνόματα θέσθαι, ὥσπερ αὖ Ὅμηρος Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσίν φησι καὶ μητέρα Τηθύν*, et Hesiodo Orpheoque commemoratis: *ταῦτ' οὖν σκόπει ὅτι καὶ ἀλλήλοις συμφωνεῖ καὶ πρὸς τὰ τοῦ Ἡρακλείτου πάντα τείνει*. His etiam ex verbis Heraclitum ipsum haec de Saturno et Rhea sensisse vel dixisse colligi nequit. Nam etiamsi ei *παλαῖ' ἄττα σοφά* tribuuntur, tamen verbis *μοι δοκῶ καθορᾶν* Socratem suam, certe non Heracliti sententiam afferre probatur. Immo Heraclitei, quos identidem Plato impugnat, eo tempore id praecipue videntur egisse, ut magistri dogmata antiquissima illa quidem, sed ab eo primo libere prolata esse comprobare studerent. Propterea omnia ad eum referentes minus a prioribus quaedam eum mutuatum esse quam illos cum eo consentire et ad eum pertinere (*πρὸς τὰ τοῦ Ἡρακλείτου πάντα τείνει*) contendebant. Velut qui deorum parentibus nomina *Ῥέας* et *Κρόνου* imposuisset, idem atque illum sensisse (*νοεῖν*) neque temere fortuitove utrique fluendi significationem subesse arbitrabantur. Idem de Homericis Oceani et Tethyis nominibus, quibus decretum illud de rebus perpetuo fluentibus indicaretur, sentiebant. Has igitur Heracliteorum ineptias spinasque (*γελοῖον μὲν πάνυ εἰπεῖν*), non ipsum Heraclitum Socrates Platonicus irridet. Quae cum ita sint, loci Platonici iis, quae modo exposuimus, non repugnant, immo ex eo, quod Plato ipsius Heracliti de Homeri decretis verba, quibus Heraclitei sententiam aptissime commendare potuerunt, nusquam adicit ulla, haud iniuria Heraclitum hac in re Homerum omnino non laudavisse effici videtur.

Maioris momenti alius Theaeteti locus est, de quo Lassallius[13]) sagacissime coniec-

---

[11]) ad p. 179 E recte scholiasta: *Ὁμηρίδας φησὶ τοὺς Ἡρακλειτείους διὰ τὸ τῆς ἀεικινησίας δόγμα, ἐπεὶ καὶ Ὅμηρος Ὠκεανὸν ἀπεφήνατο θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν*. Cf. Hermann. Gesch. der Plat. Philos. I. p. 654. Lobeck. Aglaoph. II. p. 948. Müller.-Steinhart. Platons sämtl. Werke. II. p. 561.

[12]) p. 402 A.

[13]) II. p. 114 et omnino p. 102 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

turam fecit. Praecipua continuae illius mutationis exempla sunt aqua et ignis, quae vicissim incenduntur et exstinguuntur ita, ut mare evaporationibus in solis ignem, sol in mare mutetur. Cursus autem vel orbis ille rerum perpetuo quasi in se redeuntium, qualis sit quove repetatur ordine, optime ipso sole modo oriente modo occidente, modo plus modo minus caloris lucisque fundente ante oculos ponitur. Itaque cum sole quatenus rerum commutatio progressa sit indicetur, Lassallius eum ab Heraclito cum Homerica illa aurea catena[14]) comparatum esse conicit. Hac enim omnia sempiterno motu inter se coniungi, ex hac universam naturam pendere. Iam cum ea (i. e. sol) semper pendeat et sursum deorsum tracta universo salutem afferat, apud Homerum non recte deos, ut eam ad caelum adnectant, a Iove admoneri. Quam coniecturam insuper Theaeteti quodam loco[15]) confirmare studet, ubi Socrates Heracliti aliorumque praeceptum de universi motione persecutus hanc affert allegoriam: *καὶ ἐπὶ τούτοις τὸν κολοφῶνα ἀναγκάζω προςβιβάζων τὴν χρυσῆν σειρὰν ὡς οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸν ἥλιον Ὅμηρος λέγει καὶ δηλοῖ, ὅτι ἕως μὲν ἂν ἡ περιφορὰ ᾖ κινουμένη καὶ ὁ ἥλιος, πάντα ἔστι καὶ σώζεται τὰ ἐν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις· εἰ δὲ σταίη τοῦτο ὥσπερ δεθέν, πάντα χρήματ' ἂν διαφθαρείη καὶ γένοιτ' ἂν τὸ λεγόμενον ἄνω κάτω πάντα.* Hunc locum Eustathius[16]) significat, cum dicit: *Πλάτων δὲ αὐτὸν τὸν ἥλιον χρυσέαν λέγει σειρὰν, αὐτῷ γὰρ ἐκδεδέσθαι τὸ πᾶν.* Eadem interpretatio scholiis[17]) probatur, quibus versus Homericos aut ad litteram vel propria sententia intellectos (*κυρίως*) aut per allegoriam ad solem relatos esse solito brevius narratur. Videamus, hoc allegoricae interpretationis exemplum num ad ipsum Heraclitum pertineat.

Primum hoc loco Heraclitea dogmata significari ex iis, quae modo disputata sunt, apparere puto. Omnia enim conservari et augeri donec moveantur, omnia interire simulatque non iam moveantur, demonstrandum est. Haec igitur interpretatio aut ab Heraclito ipso profecta aut ab Heracliteo nescio quo excogitata aut a Platone pro illorum ingenio ficta est. Socrates autem et Plato cum allegoricas interpretationes omnino irrideant,[18]) etiam hanc, si est ficta, per ludibrium fictam esse verisimile est.[19]) Sed Socrates rem ita affert, ut nota, non nova vel ficta videatur. Quod etiam ex verborum contextu efficitur. Nam ubi motione omnia conservari compluribus exemplis ostendit, quasi summum argumentationi fastigium impositurus convincit auream catenam nihil nisi solem esse; significari autem ea, omnia sive divina sive humana et esse et conservari, donec rerum universitas et sol moveantur et q. s. Ac mihi quidem hoc argumento mythologico vel allegorico, quod tamquam firmissimum et iam dudum ab omnibus probatum adicitur, Plato Heracliteorum qui tum erant disputandi et argumentandi rationem videtur imitatus esse atque irrisisse. Etenim cum Homeri et ipsorum sententiarum consensum ab iis indagatum esse ex iis, quae supra vidimus, probabile sit, hoc etiam loco illos suam doctrinam Homeri auctoritate ad hanc ipsam accommodati (*δηλοῖ*) confirmasse

---

[14]) Θ 19 sqq.

[15]) p. 153 D.

[16]) ad l. l. p. 695,9. Rom.

[17]) p. 218 b. 43. Alias interpretationes vid. ibid. p. 219. a. 21. Locos de aurea catena uberrime congessit Hermannus ad Luc. de conscrib. histor. c. 8 p. 56.

[18]) Sengebusch. I. p. 125. Graefenhan. Geschichte der klass. Philologie I. p. 217. Plat. Phaedr. p. 299 c. Heyn. t. VIII. p. 573.

[19]) Schleierm. Platons Werke II, 1. p. 492.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non minus est probabile. Eadem consuetudo his verbis[20]) significatur: *τίς οὖν ἂν ἔτι προς γε τοσοῦτον στρατόπεδον καὶ στρατηγὸν Ὅμηρον δύναιτο ἀμφισβητήσας μὴ καταγέλαστος γενέσθαι*; Hoc igitur Socrates vel Plato irridet et, ut irrideat, totam interpretationem, qua re vera nihil demonstratur, tantum valere simulat. Atque Heracliteos, non Heraclitum ipsum hoc loco designari etiam eo probatur, quod de eo dogmata ab Homero repetente vel eius auctoritate confirmante nihil traditum est, de Heracliteis complura. Etenim vel eo, quod ab aliis se nihil accepisse dictitabat et suam sententiam plurimi aestimabat, hanc eum viam non iniisse consentaneum est. Praeterea etiamsi concedimus initia vel vestigia allegoricae interpretationis Heracliti temporibus exstitisse,[21]) tamen ab Heraclito Homerum vituperante, non excusante[22]) eam esse adhibitam vix potest credi. Reprehensum vero esse a philosopho Iovem Homericum, quod non recte catenam illam demum e caelo demittendam esse diceret, omnino negaverim; haec enim Homeri fabula si Heracliteae doctrinae erat, afferri non potuit — videtur autem allata esse — ab Heracliteis ad illam confirmandam. Quae cum ita sint, omittamus Lassalli argumentationem, qui quamvis ingeniose ex disiectis quibusdam locis certa ac probabilia eruere studuerit, tamen cum recentiora doctrinae Heracliteae admiscere, tum huic loco obscuriori nimia mihi videtur inculcare.[23])

---

[20]) p. 153 A.

[21]) Theagenes Rheginus, qui primus allegorice interpretatus est Homeri carmina, floruit c. a. 492. Cf. progr. Merseb. supra laud. p. 5,35. Wolff. prolegg. ad. Hom. p. CLXII. Schuster. p. 52.

[22]) Allegorica interpretatione quaedam excusata esse in carminibus tradit schol. ad V. 67. p. 533. a. 30. Bekk.: *οὗτος μὲν οὖν τρόπος ἀπολογίας ἀρχαῖος ὢν πάνυ καὶ ἀπὸ Θεαγένους τοῦ Ῥηγίνου, ὃς πρῶτος ἔγραψε περὶ Ὁμήρου.*

[23]) Ex obscuriore hac allegoria — si modo est allegoria — haud facile quisquam accuratiorem sententiam extorquere poterit. Etenim cum Iuppiter deos ut auream catenam ad caelum adnectant admoneat, nondum eam pendere apparet, id quod de sole dici nequit. At tam subtiliter veteres in allegoriis non sunt versati. Quid? etiamsi concedamus hoc sibi velle fabulam, ut donec sol moveatur, omnia conserventur, cum insistat, pereant: quomodo singulae fabulae rationes, dii trahentes, Iuppiter omnia suspensa tenens, explicentur, num ex Platonis loco plane est perspicuum? Videtur sane solem significare catena illa, quae se ipsa movet et hac motione ignem fundit (p. 153 A: *τὸ γὰρ θερμόν τε καὶ πῦρ, ὃ δὴ καὶ τἆλλα γεννᾷ καὶ ἐπιτροπεύει, αὐτὸ γεννᾶται ἐκ φορᾶς καὶ τρίψεως*) universique salutem efficit; illam ceteri omnes di terra mare trahunt i. e. omnia ex sole pendent. Iam si Iuppiter catenam sursum tractam in Olympo quando illiget i. e. solis motionem impediat (Plato: *σταίη τοῦτο ὥσπερ δεθέν*; Hom.: *δησαίμην*), omnia sint suspensa (*μετήορα πάντα γένοιτο*) i. e. vicissitudine ac motione finita nihil iam certa sede maneat, sed omnia perturbentur (*ἄνω κάτω πάντα*).

Non est huius loci anquirere, quaenam priscae cuiusdam et reconditae doctrinae ad rerum naturam pertinentis vestigia in hac fabula ab Homero fortasse inscio et invito tradita sint. De ipsa tota Iovis oratione, in qua insunt verba, tam diverse iudicarunt viri docti, ut his minae Iovis summae gravitatis et maiestatis plenae (Preller. griech. Myth. I. p. 83 sq.), illis antiqui cuiusdam Muenchhauseni videantur esse (Gerlach. in Philol. XXXIII. p. 24. Hess. die komischen Elemente im Homer. Progr. Bunzlau. 1866. p. 40). Catena vero illa aurea quid sibi vellet et veteres et recentiores variis coniecturis vel argutiis persecuti sunt, qua de re vid. Heyn. ad Hom. carm. t. V. p. 414 sq. VII. p. 7 sq. (Lips. 1802), Fr. Creuzer. Symbolik der Mythologie der alten Völker I. p. 74 sq. Kopp. aurea catena Homeri p. 22 sqq. Braunschweig 1880. — De qua quoniam agimus, haud alienum videtur in memoriam revocare saeculis prioribus multos cum id agerent, ut explorarent et experirentur, qua nova atque inaudita ratione vel arte alia metalla in aurum verterentur vel remedium quoddam inveniretur, quo omnes morbi sanarentur vel vitae diuturnitas et valetudinis firmitas pararetur, ad chemiae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed, ut ad Heraclitum ipsum redeamus, quantopere poetas eorumque sententias despexerit, tum ex Procli loco[24]) apparet, ubi a multitudine magni eos aestimari reprehendit, tum ex ceterorum hominum contemptione colligi potest, cuius complura exstant testimonia.[25]) Velut se omnia, ceteros nihil scire, videntes nihil videre, audientes nihil audire dixerat.[26]) At hac in re Homerum quodammodo excepit. Laudat enim Hippolytus[27]) haec eius verba: *ἐξηπάτηνται, φησίν, οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὴν γνῶσιν τῶν φανερῶν παραπλησίως Ὁμήρῳ, ὃς ἐγένετο τῶν Ἑλλήνων σοφώτερος πάντων. ἐκεῖνόν τε γὰρ παῖδες φθεῖρας κατακτείνοντες ἐξηπάτησαν εἰπόντες· ὅσα εἴδομεν καὶ κατελάβομεν ταῦτα ἀπελίπομεν, ὅσα δὲ οὔτε εἴδομεν οὐδὲ ἐλάβομεν, ταῦτα φέρομεν.*

Ipsius philosophi verba esse nemo negat. Schusterus[28]) quidem, qui acutissime ea ex initio libri *περὶ φύσεως* deprompta esse conicit, hoc eum dicere contendit, homines ea, quae sub aspectum et tactum cadant, quod non idonea ea esse opinentur ad cognitionem percipiendam, contemnere, contra omne genus ineptiarum secum volutare, de quibus nihil unquam sensibus interpretibus compererint. Plurimi enim animis remotissimi sunt ab iis rebus, quas ex propinquo cernunt, et scientiam adeo non quaerunt explorandis iis rebus,

---

quae vocatur abstrusae artificia arcana confugientes quin reconditis et inter se conexis naturae viribus, dummodo recte perspicerentur apteque coniungerentur, admirabilia illa possent effici non dubitasse. Talium virium seriem, qua deinceps a „chao confuso“ usque ad „perfectionem consummatam“ seu „quintam essentiam universalem“ singuli mutationis vel coniunctionis gradus enumerantur, symbolo illo catenae aureae designabant. Eiusmodi catenam (conscriptam, ut Koppius putat, initio saec. XVIII ab Antonio Josepho Kirchwegero) commemorat Goethius noster in octavo commentariorum de vita sua libro (XXI. p. 348 sq.: Mir wollte besonders die Aurea catena Homeri gefallen, wodurch die Natur, wenn auch vielleicht auf phantastische Weise, in einer schönen Verknüpfung dargestellt wird).

[24]) in Alcib. pr. *τίς γὰρ αὐτῶν* (aud. *τῶν πολλῶν*) *νόος ἢ φρήν; δήμων ἀοιδοῖσι ἕπονται καὶ διδασκάλῳ* (leg. — *ων*) *χρέονται ὁμίλῳ, οὐκ εἰδότες ὅτι πολλοὶ κακοί, ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί.* Similiter Clem. Alex. strom. V. 9. p. 682. Pott. Cf. Lassall. II. p. 302 sq. Bernays. Heraclitea p. 32 sqq. Zeller. I. p. 528. 529, 6 et quae infra disputata sunt.

[25]) Aristot. rhet. III. 5. p. 1407. b. 16. Bekk.: *τοῦ λόγου τοῦδ' ἐόντος αἰεὶ ἀξύνετοι γίνονται ἄνθρωποι καὶ πρόσθεν ἢ ἀκοῦσαι ἢ ἀκούσαντες τὸ πρῶτον· γινομένων γὰρ πάντων* [add. *ἓν*? Schuster.] *κατὰ τὸν λόγον τόνδε ἀπείροισιν ἐοίκασι πειρώμενοι ἐπέων καὶ ἔργων τοιουτέων ὁκοῖα ἐγὼ διηγεῦμαι κατὰ φύσιν διαιρέων ἕκαστον καὶ φράζων ὅκως ἔχει· τοὺς δὲ ἄλλους ἀνθρώπους λανθάνει ὁκόσα ἐγερθέντες ποιέουσι ὅκως περ ὅκοσα εὕδοντες ἐπιλανθάνονται.* De his verbis vid. quae disputaverunt Schuster. p. 13 sqq. Susemihl. in Iahn. Iahrb. 1873 p. 715 sq. Cf. Hippolyt. ref. haeres. IX. 9. p. 442. ed. Duncker.-Schneidew. Stob. floril. 3, 81. Sext. Empir. adv. math. VII. 132. Clem. Alex. strom. V. p. 602 D. II. 362 A. Zeller. I. p. 527 sqq. et adnott. Hanc ob causam *ὀχλολοίδορον* eum a Timone appellatum esse Diogenes Laërtius (IX. 6. cf. IX. 1.) narrat.

[26]) Hippol. l. l. I, 4. p. 14: *αὐτὸν μὲν γὰρ ἔφασκε τὰ πάντα εἰδέναι, τοὺς δὲ ἄλλους ἀνθρώπους οὐδέν.* Procl. in Tim. p. 106: *Ἡράκλειτος μὲν ἑαυτὸν πάντα εἰδέναι λέγων πάντας τοὺς ἄλλους ἀνεπιστήμονας ποιεῖ.* Philon. de Ioseph. p. 544. t. II. p. 59 M. apud Lassall. II. p. 277, 2. Schuster. p. 15, 4. Cf. Diog. Laërt. IX. 5. Clem. Alex. strom. II. 2. 8. p. 432. Pott.

[27]) philosophumen. IX. 9. p. 444, 81. Bernays. in mus. rhen. 1854. p. 243. Mullach. I. p. 328. Schuster. p. 15 sq. Cf. Bernhardy. griech. Litt.-Gesch. II. § 94, 4. adnot. p. 96. Bergk. griech. Litt.-Gesch. I. p. 477 sqq. Welcker. der ep. Cyclus. I. p. 438.

[28]) p. 13 sqq. Cf. J. Mohr. über die hist. Stellung Heraclits von Ephesos (Würzburg, 1876. Dissert.), qui dubitat, num ex initio operis haec fabula sit deprompta.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae iis cotidie occurrunt, ut nihil eas ad se pertinere arbitrentur. Sed quae nos circumdat rerum natura, nec caret ratione ac mente nec docere nos non potest, sed viva quaedam et divina est vox, qua diserte et aperte quanam lege mundus gubernetur pronuntiatur. Quam naturam tantum abest ut considerent aut perscrutentur aut perspiciant, ut quae luculenter ea aperiuntur, non animadvertant aut si quid animadverterunt, vel neglegant vel despiciant neque quicquam loco eorum amplectantur nisi sua ipsorum commenta, quae aut non pluris aut minoris aestimanda sunt. Quare Schusterus his verbis Heraclitum opiniones temere vel ex sola deductione quam vocant mente conceptas et verbis prolatas impugnare, inductionem maximo opere commendare arbitratur.

Contra disputat Teichmuellerus,[29]) qui a Schustero primum summam comparationis vel aenigmatis non recte intellectam esse, tum etiam in eo errari putat, quod homines ea, quae sub conspectum et tactum cadant, contemnere dicat, cum plurimi semper ad ea propensiores sint, quae sensibus quam quae animo percipiuntur. Ipse ita interpretatur: hominum sensus vulgo pulsu externo commoventur nec illi animadvertunt animum, qui nihil aliud est nisi ipsa rerum natura. Animus autem cum sit noster, stultum est res externas explorare, nostri non habere rationem. Quare recte Heraclitus per irrisionem dicit, homines in cognoscendis rebus manifestis decipi aeque atque Homerum. Qui quidem eo deceptus est, quod in solvendo puerorum aenigmate de piscibus et de quibuslibet aliis rebus externis cogitavit, non de proximis (de pediculis), quae in ipso homine inveniuntur. Similiter decipiuntur homines, qui veritatem extra se in externis rebus quaerunt; vere sapiens is est, qui se ipsum noscit.

Differunt igitur viri docti in eo potissimum, quod Teichmuellerus Heraclitum omnia homines ad sensus referre, nihil animo videre posse, Schusterus sensus et res sensibus subiectas eos neglegere, suis contra commentis multum vel nimium tribuere contendit. Consentiunt, si quid video, in eo, quod homines quaelibet alia putant cogitare, non cogitare ea, quae proxima sint (proxima autem sunt aut quae sensibus subiecta sunt [Schuster.] aut quae ad animum pertinent [Teichm.]). Sed vereor, ne hac quaestione, si argumenta ex intima causa depromamus, magis in reconditas et interiores philosophiae oras regionesque deferamur quam huius disputationis ratio postulat. Etenim Heraclitus utrum sensibus homines vera intellegere posse censuerit necne, ex totius artis ac rationis natura et perpetuitate spectandum est.[30]) Nos omissis disserendi spinis satis habebimus ex hoc loco discere, Heraclitum Homero obicere, quod res manifestas et in omnium conspectu positas nec conspexerit nec perspexerit. Vidit enim Homerus a pueris pediculos capi et interfici (φανερόν); sed quae vidit, ea non animadvertit, ea ad id, quod animo solvendum erat, pertinere non intellexit; immo cum iis, quae animo eius obversabantur, commentis et opinionibus aenigma solvere conaretur, praestricta est mentis eius acies ita, ut non perspiceret, quomodo ea, quae videbat, consentirent cum eo, quod solvendum erat, quomodo ipsa rerum natura, dummodo recte quis oculis videre et, quae vera in ea inesset vis

[29]) Neue Studien zur Geschichte der Begriffe. II. p. 105.

[30]) Susemihlius quidem (im Iahnii annall. 1873. p. 717 sq.) negat usqam Heraclitum sensuum contemptorem existere aut in eo homines errare et decipi existimare, quod nimium eorum testimoniis tribuant, sed ob id homines ab eo reprehendi contendit, quod adeo non ipsorum soluto ac libero iudicio utantur, ut aliorum auctoritatem temere sequantur et proximas res aut neglegant aut contemnant, quod reconditius nescio quid in iis inesse perverse suspicentur. Cf. etiam quae sequuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ac ratio, mente comprehendere posset, optima omnium rerum ac quaestionum interpres ac nuntia esset. Haec igitur eadem est rerum apertarum ignoratio, eadem pro verioribus praeceptis philosophi a consuetudine communis sensus abhorrentis et tota mente omnique animi impetu in altiorem rerum cognitionem incumbentis non satis exculta et subtilis intellegentia, de qua supra verba fecimus. Ceterum has res apertas ad rerum naturam pertinere ex verborum contextu verisimile est. Fabula ipsa ad rem illustrandam adiecta quamquam in philosophi altitudinem vix videtur quadrare, tamen cum reputaverimus, illud aenigma festivum[31]) antiquis temporibus pervulgatissimum fuisse, non mirabimur. Heraclitum, ut erat homo ingeniosus, eo ipso quasi de foro arrepto quae sentiret quam evidentissime demonstrare voluisse. Quae cum ita sint, philosophus quamquam Homerum omni Graecorum sapientissimum appellat, tamen, cum sapientissimus inter stultos i. e. ipse stultus sit, etiam hoc verbo poetam magis videtur vituperasse quam laudasse.

Ac multum fuisse philosophum in vituperando poeta etiam hisce epistulae cuiusdam[32]) illius nomine inscriptae verbis demonstratur: *Ἡρακλῆς δὲ οὐκ ἄνθρωπος ἐγεγόνει; ὡς μὲν Ὅμηρος ἐψεύσατο, καὶ ξενοκτόνος.*[33]) *ἀλλὰ τί αὐτὸν ἐθεοποίησεν; ἡ ἰδία καλοκἀγαθία κ. τ. λ.* Quamquam Heraclitus hanc epistulam non scripsit, sed si Bernaysio credimus, rhetor Stoicus primi aevi p. Chr. n., tamen ille minime philosophum Homero mendacium obicientem fecisset, nisi simili modo saepius eum summo poetae maledixisse compertum habuisset. Etiam Hesiodum,[34]) quem item philosophus vituperaverat, epistularum auctor mentiri affirmat (*Ἡσίοδος ἐψεύσατο*).[35])

Acerbissimis vero verbis Homerum et Archilochum reprehendit[36]): *τόν τε Ὅμηρον ἔφασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ῥαπίζεσθαι καὶ Ἀρχίλοχον ὁμοίως.* Verba *ἐκ τῶν ἀγώνων* ab uno Graefenhanio[37]) „ex scholis" explicantur, ab Heynio, Zellero,

---

[31]) Legitur in omnibus fere vitis Homeri, quas vid. ap. Westermann. biograph. (Cf. inprimis Plut. t. V. p. 1061. Wytt. Herod. vit. Hom. c. 35.) Accuratissime de aenigmate disseruit Io. Schmidtius in libro „de Herodotea quae fertur vita Homeri" (Hal. Sax. 1875) p. 97—105. Traditur et vincta et soluta oratione, modo ab Arcadibus, modo ab Ietis piscatoribus, modo pueri ultro solvere iubent modo interrogantur, quin etiam compluribus locis Homerum, cum solvere non potuisset, aegre passum manus sibi attulisse narratur. Ortum esse putat Schmidtius in Arcadia priscis temporibus. Quod quia quorsum spectaret, tam difficile erat divinatu, propositum est fere addito: hoc ne Homerus quidem solvere potuit. (Ceterum etiam Homerum — ut Oedipum alios — sermonum perplexorum perspicacissimum creditum esse Schmidtius nullo nisi nostro ipso loco probavit.) Postea, cum omnium hoc aenigma esset in ore, affictum est, illud reapse aliquando Homero propositum esse solvendum, sed eum solvere non potuisse. Ita Heraclitus videtur audisse. Deinde etiam cum morte Homeri coniunctum est fortasse a rhapsodis (Bergk. griech. Litt.-Gesch. I. p. 477). — Ceterum quod Schusterus p. 15, 4 Homerum iam hac in fabula caecum videri contendit, ex ipsa fabula hoc non potest conici. Immo *φανερά* ea, quae pueri per ambages dicebant, dici vix potuerunt, nisi etiam Homero *φανερά* erant i. e. nisi ipse oculis videbat. Homerus si non caecus fuerit, Heracliti dictum plus acrimoniae habere haud iniuria contenderis.

[32]) Bernays. die heraklit. Briefe. p. 22 sq. 46 sq.

[33]) *φ* 14 sqq. 27. Hospes est Iphitus.

[34]) Diog. Laërt. IX. 1. Vid. infra adnot. 73.

[35]) p. 91, 21. Clem. Alex. strom. V. p. 649 poetas *ψευδῶν τέκτονας καὶ μάρτυρας* videtur vocare. Schuster. p. 340 sq.

[36]) Diog. Laërt. IX. 1. Schleierm. p. 22. Lauer. p. 51. Schuster. p. 338. al.

[37]) I. p. 203.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bergkio, Schustero[38]) ad certamina musica rhapsodorum, a Lassallio[39]) ad ludos omnino referuntur. Ἐκβάλλεσθαι (ἐκπίπτειν) proprie histriones oratores alii huius generis homines dicebantur, ubi sibilis explodebantur.[40]) Hoc loco verbum significat „eicere", praesertim propter simile ῥαπίζεσθαι (virgis vel baculo caedere). Caedebantur autem baculis per agonothetarum apparitores (ῥαβδοῦχοι) ii, qui in ludis leges institutaque certaminum non servaverant, inprimis qui signo nondum dato proruperant.[41]) Dicit igitur philosophus, Homerum et Archilochum dignos esse, qui ut mali rhapsodi ex ludis eicerentur virgisque caederentur.

Qui cur tam severum iudicium tulerit, alii aliter diiudicarunt. Graefenhanius quidem in Homero et Archilocho maiorem eum sententiarum copiam et obscurius orationis genus desiderasse opinatur. Heynius nimiam poetarum fingendi licentiam, qua vel rerum originem explicare conentur, eum reprehendere contendit. Schleiermacherus[42]) locum de discordia in mente habet, sed propter additum Archilochi nomen rem in medio relinquit. Ex ipso hoc nomine Lassallius coniecturam subtilissimam fecit. Suspicatur enim, nisi Heracliti iudicium de eodem Homeri et Archilochi[43]) vitio fuisset, fieri non potuisse, ut Diogenes Laërtius loco supra laudato philosophum idem de utroque acerbum iudicium ferentem faceret. Et indagavit concentum quendam sententiarum, quarum praeterea eadem fere sunt verba. Legitur enim apud Homerum:

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃ τε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,

quibus versibus respondent Archilochii[44]):

τοῖος ἀνθρώποισι θυμὸς, Γλαῦκε, Λεπτίνεω παῖ,
γίγνεται θνητοῖς, ὁκοίην Ζεὺς ἐπ' ἡμέρην ἄγῃ
καὶ φρονεῦσι τοῖ. ὁκοίοις ἐγκυρέωσιν ἔργμασιν.

Addit similia. Sextus quidem Empiricus[45]) astrologorum et Chaldaeorum sententiam, qua res terrestres cum caelestibus quasi consentire affirmant, his versibus comprehendit; eosdem illorum opinioni opponit, qui ex consensu et stabilitate factorum bene recteque vivendi rationem

---

[38]) Heyn. ad. Il. t. VIII. p. 571. adnot. Zeller. I. p. 530. adn. 1. Bergk. I. p. 491. Schuster. l. l.

[39]) II. p. 455.

[40]) Ruhnk. ad. Vell. II, 28, 3. Kock. ad. Aristoph. Eq. 525.

[41]) Herod. VIII. 59: ἐν τοῖς ἀγῶσι οἱ προεξανιστάμενοι ῥαπίζονται. Cf. Plut. Themist. c. 11. Luc. adv. indoct. c. 9: τοὺς ἀθλοθέτας δὲ ἀγανακτήσαντας ἐπὶ τῇ τόλμῃ μαστιγώσαντας αὐτὸν ἐκβαλεῖν τοῦ θεάτρου κ. τ. λ. Hermann. gottesdienstl. Altertümer. § 50, 20. Schoemann. griech. Altert. II. p. 60. Num philosophus verbo ῥαπίζεσθαι etiam rhapsodorum munus (ῥαπις-ῳδός) tecte et acerbe indicarit, quod Welckerus (ep. Cycl. II. p. 342) et Sengebuschius (I. p. 130) opinantur, parum constare arbitror.

[42]) l. l. p. 22.

[43]) Saepius una laudantur. Cf. Liebel. Archil. iambogr. princ. reliqq. p. 17 sqq. Fabric. bibl. graec. II. p. 108 sq.

[44]) Hom. σ 135 sq. Bergk. poett. lyr. fr. 70. p. 701 sq. v. 551 sqq. (ed. III.) Liebel. p. 120 sq.

[45]) adv. math. V. 4. p. 729. B. 338. F.: ἐπὶ προϋποκειμένῳ τοίνυν τῷ συμπαθεῖν τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις καὶ κατὰ τὰς ἐκείνων ἀποῤῥοίας ἑκάστοτε ταῦτα νεοχμοῦσθαι· τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν κτλ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sequi putant[46]); iisdem Archilochum et Homerum idem atque Heraclitum sentire probat[47]); iisdem Diogenes Laërtius[48]) poetas illos Pyrrhoneos fuisse, iisdem Plutarchus[49]) posteriores quaedam ex Homeri carminibus deprompsisse (*παρέφρασαν*) argumentatur. Haec Homeri et Archilochi sententia, qua ingenii humani condicionem ab uniuscuiusque diei natura pendere velint poetae, si probetur, Lassallius neque hominum facta bona aut mala neque arbitrium liberum fore contendit; omnia enim sub necessitatem vel fatum a dis immissum subiecta fore. Quod cum ab Heracliti decretis prorsus abhorruerit, Homerum ob opinionis errorem ab eo vituperari.

Atque ut haec argumenta paulo accuratius examinemus, primum sane hac una sententia Heraclitum, ut iudicium acerbissimum diceret, commotum esse non est consentaneum. Sed ex multis unam eam fuisse, in qua offenderit, verisimile est. Quos vero affert Lassallius Sexti et Diogenis locos, nostram rem non ita iuvant ut ille sibi persuasit. Etenim eo, quod Chaldaei hos versus ad suam de sideribus doctrinam rettulerunt, minime etiam ab Heraclito similiter eos intellectos esse probatur. Alter locus item non spectat ad philosophum. Tertio vero, ubi eius decretum de caelo igneo nos circumfundente, unde anima humana ignis et animi divini particeps fit, commemoravit, *ἐμφαίνει δὲ*, inquit, *τὸ τοιοῦτο πολὺ πρόσθεν Ὅμηρος εἰπών . . . καὶ Ἀρχίλοχος . . .* Hoc loco versus male intellegi vel Lassallius[50]) concedit — consentiunt enim Homerus et Archilochus cum Heraclito —, tum ipsa, qua Sextus eos laudat, ratione magis recentiorum omnia ad Homerum referentium argutiae significantur. De Diogenis ineptiis quicquam addere nil opus est. Hoc unum hic locis satis probari puto, versus Homericos illos quidem saepius vel una cum Archilochii a recentioribus, sed ad varias sententias firmandas adhibitos esse. Etiam Heraclitum una eos laudasse per se non est cur negemus; sed quo id consilio fecerit, ex locis supra laudatis non apparet. Praeterea Lassallius, quod Heraclitum de voluntate libera et de animo humano nec deorum auctoritati nec naturae necessitati obiecto statuisse vult, non satis mihi probavit. Concedo Heracliteam *εἱμαρμένην*[51])

---

[46]) Pyrrh. hypot. III. 244. p. 178. B. 189. F.: *τό τε λέγειν ὅτι τῷ διομαλισμῷ τῶν πράξεων καταλαμβάνομεν τὸν ἔχοντα τὴν περὶ τὸν βίον τέχνην ὑπερφθεγγομένων ἐστὶ τὴν ἀνθρώπων φύσιν καὶ εὐχομένων μᾶλλον ἢ τἀληθῆ λεγόντων· τοῖος γὰρ κτλ.*

[47]) l. l. VII. 127. p. 218. B. 379 sq. F.: *τόν τε λόγον κριτὴν τῆς ἀληθείας ἀποφαίνεται οὐ τὸν ὁποιονδήποτε, ἀλλὰ τὸν κοινὸν καὶ θεῖον· τίς δ' ἐστὶν οὗτος, συντόμως ὑποδεικτέον· ἀρέσκει γὰρ τῷ φυσικῷ τὸ περιέχον ἡμᾶς λογικόν τε ὂν καὶ φρενῆρες· ἐμφαίνει δὲ τὸ τοιοῦτο πολὺ πρόσθεν Ὅμηρος εἰπών· τοῖος γὰρ νόος κτλ., καὶ Ἀρχίλοχος δέ φησι, τοὺς ἀνθρώπους τοιαῦτα φρονεῖν ὁποίην Ζεὺς ἐφ ἡμέραν ἄγει.*

[48]) IX. 71: *ταύτης δὲ τῆς αἱρέσεως* (aud. *τῶν Πυῤῥωνείων*) *ἔνιοί φασιν Ὅμηρον κατάρξαι* (!), *ἐπεὶ περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων παρ' ὅντιν' ἄλλοτε ἄλλως ἀποφαίνεται καὶ οὐδὲν ὁρικῶς δογματίζει περὶ τὴν ἀπόφασιν . . . . ἀλλὰ καὶ Ἀρχίλοχον καὶ Εὐριπίδην σκεπτικῶς ἔχειν, ἐν οἷς Ἀρχίλοχος μέν φησι· τοῖος ἀνθρώποις νοῖς κτλ.*

[49]) Plut. de poes. Hom. c. 155. t. V. p. 1195 W. Theo. progymn. I. 153. ed. Walz. Brunck. anall. I. 43. fr. II. Jacobs. I. 1. 156.

[50]) II. p. 457,3.

[51]) Diog. Laërt. IX. 7: *πάντα δὲ γίγνεσθαι κατ' εἱμαρμένην καὶ διὰ τῆς ἐναντιοτροπῆς ἡρμόσθαι τὰ ὄντα* Cic. de fat. 17, 39. Plut. plac. I. 27. t. IV. p. 560. Wytt. Theodor. graec. aff. cur. p. 87. Sylb. 236. Gaisf. Ritter.-Preller. p. 19, 35 b. Schleierm. II. p. 76. Bernays. Heracliteа. p. 10. Zeller I. p. 551 sqq. 590.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vel *ἀνάγκην* vel *πεπρωμένην μοίρην* non idem esse quod postea Stoicorum fatum. Sed quin summa sit divina potentia, qua in perpetuo rerum flumine contrarii motus ad certam regulam temperentur, nemo erit qui dubitet. In rerum autem universitate ita constituta et gubernata, in qua divina illa mens omnia inter se consentientia reddit et vel dissimillima ut bona et mala ad concentum quendam et consensum redigat, ut ita omnia se habeant, ut necesse est, non intellegere me fateor, quomodo animus humanus, ut Lassallio videtur, liberas omnium rerum voluntates habere et totus sui esse possit arbitrii. Immo hominis esse censeo ad hunc ordinem rerum se accommodare, hunc penitus percipere et comprehendere composita et placida illa animi moderatione ac constantia, quam Heraclitus ipse *εὐαρέστησιν*[52]) videtur vocasse. Quae cum ita sint, quod philosophus dixit: „*ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων*" — id quod in suum convertit usum Lassallius —, hoc eum sensisse mihi persuasi, felicitatem hominis in ipso esse positam; etenim cum rerum natura ita semper se habeat, ut necesse sit, hoc unum homini spectandum esse, ut ad immutabilem illum ordinem se accommodet; hac autem in re ipsius ingenium summi esse momenti sive ad felicitatem sive ad infelicitatem.

Sed Heraclitum vehementissimum ut liberae voluntatis laudatorem, ita decreti de fato vituperatorem fuisse Lassallius eo potissimum videtur sibi persuasisse, quod philosophus loco quodam scholiorum Homerum astrologi nomine vocasse vel notasse dicitur. Astrologiam autem, cum item hominum fortunam non ab ipsorum vel moribus vel voluntate, sed a siderum quorundam nataliciorum vi ac potentia pendere velit, valde congruere cum illa superstitione, qua omnia fato evenire putentur. Quod quomodo se habeat, videamus.

Versibus de Polydamante Hectoris sodali (Σ 251):

Ἕκτορι δ' ἦεν ἑταῖρος, ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο·
ἀλλ' ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα

adduntur haec[54]): *πῶς ἐν μιᾷ νυκτὶ γενόμενοι διαφέρουσι τῆς συμπαθείας τῶν οὐρανίων ὁμοίως πρὸς ἀμφοτέρους ἐχούσης; ἔστιν οὖν διαφορὰ τοῖς γεννωμένοις οὐκ ἐν νυκτὶ μόνον ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς ὥρας ἀκρίβειαν. Ἡράκλειτος ἐντεῦθεν ἀστρολόγον φησὶ τὸν Ὅμηρον καὶ ἐν οἷς φησι „μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν, οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.*" His respondent Eustathiana[55]): *ἐν δὲ τῷ „μιᾷ δ' ἐν νυκτὶ ἐγένοντο" Ἡράκλειτος παρετήρησε καὶ ἀστρολόγον εἶναι τὸν ποιητὴν, ὃς ἐν μιᾷ νυκτὶ γενομένους τὸν Ἕκτορα καὶ τὸν Πολυδάμαντα ὅμως πολὺ διαφέροντας ἀλλήλων ἱστορεῖ δι' ὥρας ἀκρίβειαν.* Denique brevior scholiorum locus addatur[56]): *φαίνεται καὶ τὴν μαθηματικὴν πρῶτος εἰδὼς Ὅμηρος ἐν οἷς τὴν ἐπὶ γενέσεως ὥραν περιέχειν τὰ ἀποτελέσματα λέγει.*

Quaerendum est primum, num Heraclitus astrologiam noverit. Nomina astronomiae et astrologiae, quarum illa nobis est ars ac disciplina, haec artificium superstitiosum, apud veteres

---

[52]) Ritter.-Preller. p. 25,46. Zeller I. p. 590. Lassall. II. p. 450.

[53]) Alex. Aphrod. ad Aristot. de fato c. 6. p. 16. ed. Orelli: *ἦθος γὰρ ἀνθρώπῳ δαίμων κατὰ τὸν Ἡράκλειτον, τουτέστι φύσις.* cf. p. 154. Plut. quaest. Plat. I. 1. t. V. p. 68. W. Lassall. II. p. 451 sqq. Schleierm. II. p. 126. Ritter.-Preller. p. 23, 43. Zeller. I. p. 590.

[54]) Schol. ad Σ 205 p. 495. b. Bekk. Cf. Heyn. ad Σ 251. t. VII. p. 467.

[55]) ad Σ 251. p. 1142,5 Rom. Cf. Lassall. p. 454 A.

[56]) ad Ζ 489. p. 198. b. 42. Bekk.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sine discrimine usurpantur.[57]) Illa quidem inde a Thalete Milesio, qui primus defectionem solis praedixisse fertur[58]), a philosophis Graecis tractabatur; haec qua divinatur, quid cuique eventurum et quo quisque fato natus sit, commemoratur illa quidem ab Herodoto[59]), sed ut adventicium quiddam ad Aegyptios refertur. Idem quod dicit poetas Graecos ea usos esse, testimoniis idoneis caret[60]). Orphica enim carmina recentiorum temporum esse inter omnes constat. Hesiodus autem, qui saepius[61]) singulos dies ut certis dis consecratos et ad agriculturam navigationem nuptias alia negotia idoneos ac secundos enumerat — de qua re infra viderimus — propriam illam astrologiam nec commemorat nec significat. Itaque historicum Aegyptiorum illam doctrinam cum prognosticis Hesiodi ex lunae vi captis videtur confudisse. Hanc signorum caelestium observationem diserte Sextus Empiricus[62]) a propria astrologia discernit. Haec a Beroso sacerdote Babylonio primo in Graeciam introducta esse dicitur, florentissimis rebus Graecis ignorabatur.[64])

Heraclitum vero astrologiam novisse et recentiore illa sententia accepisse nec Lassallius nec Schusterus mihi probaverunt. Nam quod de sideribus quaedam disseruit et Thaletem Milesium laudasse dicitur, quia solis defectionem praedixisset[65]), haec non ad propriam astrologiam spectant. Quod vero magos novisse, quod eos, qui ab astrologis non differant, inter *νυκτιπόλους* et *βάκχους* numerasse et hac re etiam illos ei homines fraudulentos visos esse Schustero[66]) videtur testari, nisi alia hic et maiora argumenta attulerit, nobis non persuadebit astrologos Heraclitum diserte ab astronomis discrevisse vel vituperasse vel ipsum Homerum iis adscripsisse. Ex ipsis autem nostris locis reprehensionis quandam vim in hoc verbo inesse

---

[57]) Pauly. Realencycl. I p. 1922. Cf. Xen. Mem. IV. 7. 4 sq. Plat. conv. p. 188 B.

[58]) ibid. I. p. 1925 sq. Clem. Alex. Strom. I. p. 953. Cic. de div. I. 49, 112.

[59]) II. 82. Cf. edd. ad h. l. *καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα, μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη ὅτευ ἐστὶ, καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος ὁτέοισι ἐγκυρήσει καὶ ὅκως τελευτήσει καὶ ὁκοῖός τις ἔσται· καὶ τούτοισι τῶν Ἑλλήνων οἱ ἐν ποιήσει γενόμενοι ἐχρήσαντο.*

[60]) Schoemann. griech. Altert. II. p. 274,2. De Maury. la magie et l'astronomie dans l'antiquité et q. s. p. 63,3 hymnum quendam laudat, quo nihil probatur. Vid. Kraus. ap. Pauly. IV. p. 1638. Lobeck. Aglaoph. p. 427.

[61]) opp. et dies. v. 767 sqq. 562 sqq. 660 sqq. Nec minus in scholiis etiam negotia tantum commemorantur.

[62]) adv. math. V. 1. sq. p. 338. F. 728. B. *τήρησις γάρ ἐστιν ἐπὶ φαινομένοις ὡς γεωργία καὶ κυβερνητική, ἀφ' ἧς ἔστιν αὐχμούς τε καὶ ἐπομβρίας . . . προθεσπίζειν.*

[63]) Plin. nat. hist. VII. 37. t. II. p. 39. ed. Sillig. Pauly. IV. p. 1395. 1383. Cf. I. p. 1101. Schoemann l. l.

[64]) Dio Cass. XXXVIII. 18: *τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ τοὺς πλανήτας ὠνομασμένους τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπτίων, πάρεστι δὲ καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους, οὐ πάλαι ποτὲ ὡς λόγῳ εἰπεῖν ἀρξάμενον· οἱ γοῦν ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτό, ὅσα γε ἐμὲ εἰδέναι, ἠπίσταντο.* Simplic. in auscult. II. p. 65 A.: *τὸ τῆς ἀστρολογίας ὄνομα, μήπω τότε* (i. e. Posidonii temporibus) *τῆς ἀποτελεσματικῆς εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐλθούσης, ἐπὶ τῆς νῦν καλουμένης ἀστρονομίας ἔφερον.*

[65]) Lassall. I. p. 458. Diog. Laërt. I. 2. Cf. adnot. 58. Zeller. I. p. 563 et adn. 3. Quod dicit Diog. Laërt. I. 23: *μαρτυρεῖ δ' αὐτῷ* (aud. Thaleti) *καὶ Ἡράκλειτος καὶ Δημόκριτος*, ad solem vel lunam potius referendum est. Cf. Zeller. I. p. 688 sq.

[66]) Schuster. p. 339.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adeo non efficitur, ut laudare scholiastas subtiliorem quandam Homeri scientiam cum ex tota argumentatione tum ex voce ἀκριβείας diligentiam poetae significante appareat. Contenditur enim Polydamantem et Hectorem, quamquam una nocte nati pro pari siderum collocatione pares esse debeant, tamen diversa animorum natura hanc ob causam praeditos ab Homero fingi, quod non eadem eiusdem noctis hora nati sint. Laudari Homerum recte intellexit et plane expressit Eustathius. Etenim verbo παρετήρησε significat, Homerum hanc adnotationem facere, et cum dicit καὶ ἀστρολόγον poetam esse, etiam alias virtutes praeter astrologiae cognitionem in Homero inesse designat. Quae cum ita sint, tota sententia ab Homero laudatore videtur profecta esse. Eiusmodi homines ut omnino ab Homero omnes artes litterasque originem cepisse ex ipsius carminibus eruere studebant[67]), sic ille ex duobus his locis[68]) inepte sane vel astrologorum mysteria extorsit. Quod de philosopho minime suspicari licere ex iis, quae supra disputata sunt, apparere puto. Atque nostra sententia praeterea illo eiusdem codicis scholio ad locum simillimum confirmatur, ubi et eadem, sed omisso Heracliti nomine verbisque recentiorum inventa redolentibus repetuntur et verbis „φαίνεται καὶ τὴν μαθηματικὴν πρῶτος εἰδὼς Ὅμηρος· idem consilium omnia Homero inculcandi planius ostenditur. Itaque non Heraclitum eum, de quo nos agimus, sed alium eiusdem nominis usitatissimi hoc loco significatum esse censeo. Qui utrum auctor allegoriarum Homericarum[69]) sit an grammaticus quidam[70]) Cratetis Mallotae vel aemulus vel ex schola profectus an Heraclides sive Alexandrinus sive Milesius, equidem non diiudicarim, sed ad intellegentium iudicium reiciam.[71])

Hac de scholiorum locis controversia diiudicata munitus est aditus ad reliquam de Heraclito astrologorum castigatore disputationem absolvendam. Afferunt viri docti[72]) duos

---

[67]) Vid. progr. Merseb. p. 4.

[68]) alter extat Z 488.

[69]) Zeller. I. p. 594 adnot.

[70]) Bywater. Heracl. Ephes. reliqq. Oxon. 1877. p. VIII sq., qui adicit, eo usque processisse Crateteorum acumen, ut tandem sub virga interpretis musicus astronomus astrologus omnium fere artium magister poeta exierit, et comparat similem locum ex Zenodoto Mallota repetitum (ad Ψ 79: ἀλλ' ἐμὲ μὲν κὴρ ἀμφέχανε στυγερή, ἥ περ λάχε γιγνόμενόν περ: ὅθεν μία τῶν Μοιρῶν λάχεσις. παρείληφε δὲ ὅτι τῇ γενέσει συνδιατάσσεται καὶ ὁ τῆς τελευτῆς καιρός. ὅθεν Ζηνόδοτος ὁ Κρατήτειος Χαλδαῖον τὸν Ὅμηρόν φησιν. quibus verbis sibi persuasit, hunc cum nostro loco ea coniunctum esse necessitate, quae si non eundem auctorem, at certe eandem et aetatem et disciplinam arguat. Cf. Achill. Tat. isagog in Arat. phaenom. c. 1. Petav. Uranol. p. 79. μαρτυροῦσι δὲ Κράτης καὶ Ἀπίων ὁ Μλειστονίκης ὅτι ἀστρονόμος Ὅμηρος. Lehrs. quaestt. epp. p. 25. Sengeb. I. p. 60.

[71]) Quod Schleiermacherus p. 23 adnot. assentiente Lassallio II. p. 454 adnot. Eustathium, ubi recentiorem quendam Heraclitum laudet, semper cognomen quoddam addere contendit, nec recte se habet, cum ille p. 40, 11 Rom. alium intellegat, cognomen non addat, nec duobus exemplis ex Eustathio omnium interpretum amplissimo allatis Ἡράκλειτος οὐχὶ ὁ σκοτεινός et εἰς ὃ καί τις Ἡράκλειτος ἐπονήσατο) satis probatur. Immo ex his locis id unum efficitur, Eustathium, ubi certum aliquem Heraclitum significari compertum habuit, cognomine addito ab aliis eum disiunxisse; sed multis locis ille certo, quisnam Heraclitus esset intellegendus, ignoravit.

[72]) Schleierm. p. 23. Ritter.-Preller. p. 20. Bernays. Heraclitea. p. 11 sq. Zeller. I. p. 532. Mullach. I. p. 327b. Lassall. II. p. 455. Schuster. p. 67 sq. 246.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locos, quibus Hesiodum[73]) similiter atque Homerum Archilochumque ob astrologiae superstitionem a philosopho reprehendi sibi persuaserunt. Narrat Plutarchus[74]): *Ἡράκλειτος ἐπέπληξεν Ἡσιόδῳ τὰς μὲν* (aud. *ἡμέρας*) *ἀγαθὰς ποιουμένῳ, τὰς δὲ φαύλας· ὡς ἀγνοοῦντι φύσιν ἡμέρας ἁπάσης μίαν οὖσαν.* Hippolytus[75]) vero dicit: *τοιγαροῦν οὐδὲ σκότος οὐδὲ φῶς οὐδὲ πονηρὸν οὐδὲ ἀγαθὸν ἕτερόν φησιν εἶναι ὁ Ἡράκλειτος. ἀλλὰ ἓν καὶ τὸ αὐτό. ἐπιτιμᾷ Ἡσιόδῳ, ὅτι ἡμέραν καὶ νύκτα [οὐκ] οἶδεν· ἡμέρα γάρ, φησί, καὶ νύξ ἐστιν ἕν, λέγων ὧδέ πως· διδάσκαλος δὲ πλείστων Ἡσίοδος· τοῦτον ἐπίστανται πλεῖστα εἰδέναι, ὅστις ἡμέρην καὶ εἰφρόνην οὐκ ἐγίνωσκεν· ἔστι γὰρ ἕν.*

Atque Lassallius quidem de loco Plutarcheo in eandem fere sententiam disputat atque de versibus Homeri et Archilochi. Schusterus[76]) autem Hippolyti locum ita interpretatur, ut Heraclitum dicentem faciat, diem et noctem idem esse, temporis spatium; etiam tempus sane modo noctem ex die, modo diem ex nocte fieri, sed in hac mutatione nihilo setius semper unum manere. Diem autem et noctem per se nihil differre, eo demonstrari, quod sole demum, qui tamen ad ipsum tempus per se nihil pertineat, dies efficiatur. Itaque Heraclitus Hesiodum non intellexisse vituperat, diem ipsa sua natura a nocte nullo modo discrepare, sed temporis quoddam spatium esse item atque noctem, nisi quod sole illustretur. Cui interpretationi cum locus Plutarcheus repugnet, Schusterus eum ad Hippolyti referendum esse, sed parum accurate exprimere, quae his contineantur, studet probare, non probavit.

At universa hac interpretatione improbata Teichmuellerus[77]) contendit, Hesiodum, cum in theogonia Chao Erebum et Noctem, Nocte et Erebo Aethera et Diem ortos velit, die priorem fuisse arbitrari noctem. Heraclitum vero ubique unitatem videre in contrariis, quae totum quasi corpus efficientia inter se disiungantur, seiungantur, coniungantur. Si dies sit nullus, nullam esse noctem, si nihil bonum, nihil esse malum, sine bello pacem, sine fame satietatem, sine hieme aestatem esse nullam. Deo videlicet haec omnia unum esse, quod in toto illo corpore insint quasi concordia discors. Iam die igneae naturae maiorem esse vim, nocte humidae et caliginosae, ita tamen, ut etiam die aliquid humidi et caliginosi, nocte aliquid ignei et lucidi adsit. Eandem igitur diei et noctis naturam esse nec contrariam nisi quod modo huius modo illius naturae vel partis vis sit maior.

Eandem fere in sententiam disputavit Bernaysius,[78]) qui eodem theogoniae loco usus Hesiodum vituperari putat, quod noctem intellegat deam a die non solum diversam, sed ita disiunctam, ut cum eo coniungi nullo modo possit; illos autem non esse disiunctos, sed eiusdem rei contrarias vices ac formas.

Contra dicit Schusterus Hippolytum eo loco, quo Heracliti verba legerit, nihil de contrariorum coniunctione vel de studio contraria inter se coniungendi legisse videri; etenim

---

[73]) Saepius Hesiodo Graecorum sapientissimo praeceptori inscitiam opprobrio vertit. Diog. Laërt. IX. 1: *πολυμαθίη νόον ἔχειν οὐ διδάσκει. Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόραν αὖτίς τε Ξενοφάνεα καὶ Ἑκαταῖον.* Ritter.-Preller. p. 16. Bergk. I. p. 1023. Bywater. p. 6. Schuster. p. 370.

[74]) Camill. c. 19. de dieb. t. V. p. 863. W. Cui addendus est Seneca in ep. 12, 7. t. III. p. 33. Bip.: Heraclitus, cui cognomen *σκοτεινόν* fecit orationis obscuritas, unus, inquit, dies par omni est.

[75]) haeres. refut. IX. 10. p. 446. Dunck.

[76]) p. 67 sq. 245 sqq. 370 sq.

[77]) I. p. 47 sqq. II. p. 238. Hes. theog. v. 123 sqq. Eundem locum laudat Schusterus p. 371.

[78]) die heraclit. Briefe p. 46. Cf. Bergk. I. p. 974.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verbis *γοῦν* et *ὡδέ πως* apparere, eum cum eo consilio, ut diem et noctem idem esse demonstraret, Heraclitum haec verba dicentem faceret, ipsum ex his verbis huius sententiae coniecturam fecisse. At tamen vel ipsis philosophi verbis ab Hippolyto laudatis satis perspicuum est, diem et noctem ipsum Heraclitum idem putasse: quapropter, utrum eodem loco alia quaedam de unitate contrariorum Hippolytus legerit necne, res est levioris sane momenti. In explicandis vero verbis argumentationem Teichmuelleri potius ut simpliciorem eandemque non minus cum Heracliti praeceptis congruentem sequor.

Iam videamus, num hic locus recte cum Plutarcheo comparetur. Quo quidem non contenditur, diem et noctem, sed naturam omnis diei unam eandemque esse et ob id non recte hos faustos, illos infaustos dies appellari. Atque inter omnes constat, ex communi omnium fere gentium consuetudine dies quosdam ad negotia vel suscipienda vel exsequenda idoneos aut minus idoneos habitos esse[79]). Quare non mirum, quod etiam Hesiodus pro vulgari popularique suae gentis sensu sub finem eius carminis, quod de operibus et diebus composuit, nonnullos enumerat. Haec opinio ab iis, quae veriora sibi perspexisse videbatur Heraclitus, valde abhorruit. Hoc enim sibi persuaserat, sicut deo omnia pulchra bona iusta, hominibus contra partim iusta, partim iniusta videantur[80]), ita illi etiam dierum omnium unam esse naturam, homines contra hos faustos, illos infaustos esse perverse statuere. Non vereor ne quis contendat, illam de diebus faustis et infaustis superstitionem in astrologorum rationibus contineri necesse esse. Hoc potuisse fieri vel factum esse, non nego; Hesiodus qua de causa hunc vel illum diem eligendum esse censeat, ipse duobus locis[81]) significat. Septimum enim uniuscuiusque mensis diem, quippe quo Apollo natus sit, faustum, quintum, quo Furiae inter homines versentur, infaustum esse opinatur. Dimittendi igitur videntur ii viri docti, qui studio disiecta membra philosophi colligendi et ad quandam convenientiam redigendi non satis consideraverunt, siderum vim ac potentiam, in qua consistit tota astrologia, his locis nullo verbo vel commemorari vel significari.

Quibus expositis dubium non iam erit, nos cur Heraclitum versus Homeri et Archilochi supra laudatos vituperasse arbitremur. Etenim cum una sit uniuscuiusque diei natura, diversos inter se esse dies non licet dicere. Quod isti his versibus fecerunt; talem enim animum hominis esse dixerunt, qualem diem esse voluisset Iuppitur, quo efficitur, diei naturam non semper eandem esse. Inest autem etiam alia sententia, in qua Heraclitus offendit. Cum rerum natura una sit, cum necessitate, suprema illa potentia divina, qua contrarii motus ad certam regulam temperantur, ea semper efficiantur, quae effici oporteat, cum unusquisque dies ex necessitatis illius lege sibi semper constante ita fiat ut fit, de libidine quadam vel arbitrio

---

[79]) De Graecis vid. Schoemann. griech. Altert. II. p. 353, de Romanis Lange. röm. Altert. I. p. 306 sq., de Germanis Simrock. Handbuch der deutschen Mythologie. p. 593.

[80]) schol. ad *Δ* 4 p. 120. a. 44 Bekk.: *συντελεῖ γὰρ ἅπαντα ὁ θεὸς πρὸς ἁρμονίαν τῶν ὅλων, οἰκονομῶν τὰ συμφέροντα, ὅπερ καὶ Ἡράκλειτος λέγει, ὡς τῷ μὲν θεῷ καλὰ πάντα καὶ ἀγαθὰ καὶ δίκαια, ἄνθρωποι δέ ἃ μὲν ἄδικα ὑπειλήφασιν, ἃ δὲ δίκαια.* Hippocrat. *περὶ διαίτης* (ex Heraclit. libris excepta videntur) apud Bernays. Heraclit. p. 22 sq.: *τὰ μὲν οὖν ἄνθρωποι ἔθεσαν οὐδέποτε κατὰ ωὐτὸν ἔχει, οὔτε τὸ ὀρθῶς οὔτε τὰ μὴ ὀρθῶς· ὁκόσα δὲ θεοὶ ἔθεσαν ἀεὶ ὀρθῶς ἔχει, καὶ τὰ ὀρθῶς καὶ τὰ μὴ ὀρθῶς.* Ritter.-Preller. p. 24, 45. Mullach. I. p. 328.

[81]) opp. v. 771. 801.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iovis in diebus animis fortuna hominum fingendis, quae versibus illis significantur, cogitari nequit.[82]) Praeterea cum homines animos ad hanc necessitatem conformare et componere debeant, qua de re supra disputatum est, dies a necessitate immissi semper eodem animo i. e. cum moderatione, non animo modo gaudio exsultante, modo maerore afflicto accipiendos esse Heraclitus censuit.

Quae cum ita sint, cum versus illi Homerici et Archilochii summae Heracliti de necessitate et contrariorum unitate doctrinae repugnare viderentur, mirum non est, quod philosophus ad tantam reprehensionis acerbitatem ablatus est, ut poetas ex ludis eiciendos virgisque caedendos esse censeret. Etenim quo magis istorum commenta et errores a verioribus ipsius praeceptis abhorrebant quoque maiore in hominum frequentia pronuntiabantur — maximam autem eam fuisse in ludis publicis nemo nescit —, eo maiorem moram maiusque impedimentum iis, quae rectius sibi altiusque perspexisse videbatur philosophus intellegendis et propagandis ea intulisse consentaneum est.

Restat, ut quae de consensu quodam orationis ac sententiae inter Homerum et Heraclitum intercedente viri docti suspicati sunt, breviter commemoremus.[83]) Apud Lucianum[84]) Heraclitus ita loquens inducitur: *ταῦτα ὀδύρομαι καὶ ὅτι ἐμπεδον οὐδὲν, ἀλλά κως ἐς κυκεῶνα πάντα συνειλέονται καί ἐστι τωὐτὸ τέρψις ἀτερψίη, γνῶσις ἀγνωσίη μέγα μικρὸν, ἄνω κάτω περιχωρέοντα καί ἀμειβόμενα ἐν τῇ τοῦ αἰῶνος παιδιῇ. — τί γὰρ ὁ αἰών ἐστι; — παῖς παίζων, πεσσεύων, διαφερόμενος.*[85]) Cui addendus est Hippolytus[86]): *αἰὼν παῖς ἐστι παίζων, πετιεύων· παιδὸς ἡ βασιληίη.* Heraclitus igitur deum vel Iovem — etenim *αἰών* aliis locis *Ζεύς* vel *δημιουργός* vocatur — in mundo aeterna vicissitudine modo construendo modo destruendo cum puero ludente comparavit. Ad quam verborum immutationem philosophum delapsum esse putat Bernaysius eo, quod animo eius obversabatur vetus puerorum ludus simili illo Iliadis expressus, ubi — O 361 — de Apolline dicuntur haec:

ἔρειπε δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν
ῥεῖα μάλ' ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάις ἄγχι θαλάσσης,
ὅς τ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν,
ἂψ αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων.

Itaque Bernaysius Iovem ab Heraclito cum puero illo ex arena marina acervos per lusum modo congerente modo confundente comparatum esse suspicatur. Quam coniecturam Mullachius et Zellerus probaverunt, ceteri reiecerunt. Lassallius quidem, qui verba illa ad orphica sacra refert, Iovem semper in Apollinis et Dionysi formas vicissim mutari vel novas

---

[82]) Zeller. p. 593.

[83]) Bernays. mus. rhen. 1850 (VII) p. 109 sqq. Mullach. fragm. philos. Graec. I. p. 320. Zeller. I. p. 536 et adnot. Lassall. I. p. 265 adnot. Schuster. p. 130 sq. Teichmueller. II. p. 189. 204.

[84]) vit. auct. c. 14.

[85]) Placuit Bernaysio et Schustero (p. 130), quod Hemsterhusius ad Luc. loc. t. I. p. 554 ed. Amstelod. coniecit *συνδιαφερόμενος*, improbavit Teichmuellerus p. 201. 203 adnot. †.

[86]) haeres. refut. IX. 9. p. 442. Bywater. p. 33. fr. LXXIX. Procl. in Tim. p. 101. F: *ἄλλοι δὲ καὶ τὸν δημιουργὸν ἐν τῷ κοσμουργεῖν παίζειν εἰρήκασι, καθάπερ Ἡράκλειτος.* Clem. Alexandr. paedag. I. p. 5. p. 90 C: *τοιαύτην τινὰ παίζειν παιδιὰν τὸν ἑαυτοῦ Δία Ἡράκλειτος.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

formas induere arbitratur, quae nec sint nec ut maneant fingantur. Qua in re Iovem quasi ludere nec serio agere. Atque in sacris orphicis, quibus illae formarum immutationes celebratae sint, et Dionysum saepissime puerum vocari et multas res, quibus pueri ludere soleant, ut conos turbines talos[87]), pro symbolis esse rerum divinarum et ad naturam pertinentium. Haec, non Homeri versus ab Heraclito significari. Contra Schusterus[88]) qua ratione orphica illa ad Heracliti locum pertineant, se non intellegere fatetur. Neque tamen ipse nec Teichmuellerus, qui ab eius sententia discedit, Heracliti verba ad locum Homericum pertinere voluerunt. Atque Teichmuellerus quidem Heracliti deum illum puerum cum Apolline Homerico conferri posse negat. Homerum enim nec dicere nec dicere posse, Apollinem Troianos iuvantem pueri ludentis instar temeritate aedificandi ac delendi delectatum esse, praesertim cum puer Heracliteus mundum aedificet, aedificatum destruat, destructum rursus aedificet, Apollo Homericus Achivorum murum nec omnino aedificarit nec destructum rursus aedificaturus sit; sed summa comparationis illustrari, quam facile et quasi ludibundus deus Achivorum opus operosum diruat (*ῥεῖα μάλ'*). Itaque non ipse Apollo cum puero ludente confertur. Praeterea et gravitati philosophi repugnat, ludum illum totum in fortunae caecitate et puerorum libidine positum quasi regnare in mundo, nec verisimile est philosophum poetae castigatorem, summa ea, quae de mundo ac deo sibi persuasit, dedita opera ad Homeri exemplum et auctoritatem direxisse. Tota interpretatio in verbo *πεσσεύων* recte intellegendo vertitur. Quo quin verbum *παίζων* — cuius cum voce *παιδός* et soni et rei cognationem velim animadvertas — explicetur et quasi circumscribatur, dubium non est. *Πεσσεία* autem — id quod recte Schusterus et Teichmuellerus viderunt[89]) — non est alea, in qua plurimum valet fortuna, sed ludus calculorum, quem qui ludit mente ac cogitatione opus est; calculi enim cum varietate illi quidem, sed etiam cum necessitate rationis plena in tabula promoventur aut reducuntur neque quicquam fit nisi quod per certas artis ac rationis leges fieri licet. Simili ratione ac necessitate varii motus et mutationes virium in natura vigentium inter se excipiunt. *Παῖς* autem, qui illa efficit, est aeterna tamquam mundi iuventus, vigor nunquam senescens, ignis sempiternus. Qui *διαφερόμενος* ob id vocatur, quod a se ipso dissentit et discors secum quodammodo bellum gerit. Itaque deus puer est ipsum bellum, bellum ludus calculorum, quem ille vel mundus secum ludit, quo fit, ut in discordia sua sit concors. Nec minus ludus calculorum cum perpetuo illo rerum flumine comparari potest, in quo nihil manet, sed omnia locos et vices mutare non desinunt, ita tamen, ut ordini cuidam et necessitati tamquam praeceptis

---

87) I. p. 263 sq. Lobeck. Aglaoph. p. 699. De orphicis praeceptis cf. praeterea Lassall. I. p. 57. 243 sqq. 204 sqq. 219 sqq.

88) Contra Lassallium etiam Zellerus disputat I. p. 592, 7. Mihi quoque acutius saepe quam verius locos interpretari et inter se videtur coniungere. Diversorum temporum inventa in orphicis praeceptis saepe confunduntur.

89) Contra Lassallium I. p. 264 et Bernaysium in mus. rhen. VII. p. 109 sq. adnot. 3. Becker. Charikl. II. p. 300 sqq. Gall. III. p. 335 sqq. Becker. griech. Antiq. III. § 55. p. 446. Plat. Gorg. p. 450 D *πεττευτικὴν* iis adnumerat *τέχναις, αἳ διὰ λόγου πᾶν περαίνουσι καὶ ἔργου, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἢ οὐδενὸς προςδέονται ἢ βραχέος πάνυ.* Philostr. Heroic. p. 708 ludum esse dicit *οὐ ῥᾴθυμον παιδιὰν, ἀλλ' ἀγχίνουν καὶ ἐίσω σπουδῆς.* Nostro loco Schusterum vocem *πεττεύειν* non satis accurate interpretari contendit Teichmuellerus p. 203 adnot. †.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iis, quae in arte valent, pareant. Ita si verba Heraclitea interpretamur, Homeri significationem in iis inesse vix quisquam contenderit.

Neque tamen silentio est praetereundum aliis locis Homericum illud simile designari. Legitur apud Philonem[90]): εἰ δὲ ὅμοιος (aud. ὁ κόσμος, qui post incendium novus factus est), ματαιοπόνος ὁ τεχνίτης οὐδὲν κομιδῇ νηπίων παίδων διαφέρων, οἳ πολλάκις παρ' αἰγιαλοῖς (= ἄγχι θαλάσσης) ἀθύροντες ψάμμου γεωλόφους ἀνιστᾶσι καὶ ἔπειθ' ὑφαιροῦντες ταῖς χερσὶ πάλιν ἐρείπουσιν. Disertius Plutarchus[91]): ἐκστάσεις δὲ αὐτοῦ (aud. τοῦ Ἀπόλλωνος) καὶ μεταβολὰς εἰς πῦρ ἀφίεντο, ἑαυτὸν ἅμα πᾶσιν, ὡς λέγουσιν, αὖθις τε καταθλίβοντες ἐνταῦθα καὶ κατατείνοντες εἰς γῆν καὶ θάλασσαν καὶ ἀνέμους καὶ ζῶα καὶ φυτὰ καὶ τὰ δεινὰ παθήματα οὐδ' ἀκούειν ὅσιον· ἢ τοῦ ποιητικοῦ παιδὸς ἔσται φαυλότερος, ἣν ἐκεῖνος ἔν τινι ψαμάθῳ συντιθεμένη καὶ διαχεομένη πάλιν ὑφ' ἑαυτοῦ καὶ παίζει παιδιὰν κ. τ. λ. Homeri locum hic designari non est, quod negemus; ab ipso Heraclito eius mentionem factam esse valde est, quod negemus. Incendium illud quidem universum (ἐκπύρωσις) ad Heracliti praecepta pertinet; ceterum ipsa philosophi verba nusquam inveniuntur, quae quin in his quae supra laudavimus exstent, minime dubitandum est.[92]) Quae cum ita sint, Heraclitum versus illos Homericos vel in mente habuisse vel diserte laudasse cum per se non est verisimile tum locorum auctoritate non satis probatur.

Quare ea, quae supra disputata sunt, complectentibus nobis de Heracliti studiis Homericis statuenda videntur haec:

1. Homerum, quamquam omnium Graecorum sapientissimus vel esset vel haberetur, tamen in rebus manifestis falli contendit et fabula illa de piscatorum aenigmate probavit.
2. Bellum omnium rerum parentem esse cum sibi persuasisset, Homerum, quod discordiam — Ξ 107 — exsecraretur nec sciret una cum illa simul universum mundum interiturum esse, reprehendit.
3. Homerum — et Archilochum — videtur vituperasse, quod perverse dies aut faustos aut infaustos esse et eorum simulque cum iis humanorum animorum naturam ex deorum arbitrio ac libidine pendere dixissent.
4. Ob eandem, opinor, causam hos poetas dignos esse censuit, qui ex certaminibus eicerentur virgisque caederentur.

De Heracliteis addenda sunt haec:

1. Heracliti decreta aliis probaturi iam in Homeri carminibus inveniri contendebant.
2. Ut versu Iliadis Ξ 203, quo Oceanus et Tethys origo deorum appellantur, Heracliteam de rebus perpetuo fluentibus sententiam significari putabant.
3. Θ 19 sqq. auream illam catenam nihil aliud nisi solem esse, in cuius motione mundi salus consisteret, allegorica interpretatione videntur affirmasse.

---

[90]) de incorrupt. mund. II. 500.

[91]) de Ει ap. Delphos c. 21. p. 393 D.

[92]) Nihilo setius Schusterus verba Heraclitea eiusdem loci esse putat, quo universi incendium commemoretur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iis, quae in arte valer pretamur, Homeri significationem
in iis inesse vix quisc

Neque tamen Homericum illud simile designari.
Legitur apud Philonem post incendium novus factus est),
ματαιοπόνος ὁ τεχνι διαφέρων, οἳ πολλάκις παρ'
αἰγιαλοῖς (= *ἄγχι* *κεωλόφους ἀνιστᾶσι καὶ ἔπειθ'*
ὑφαιροῦντες ταῖς χέ Plutarchus[91]): *ἐκστάσεις δὲ αὐτοῦ*
(aud. *τοῦ Ἀπόλλωνος* *ἑαυτὸν ἅμα πᾶσιν, ὡς λέγουσιν,*
αὖθις τε καταθλίβον *ν καὶ θάλασσαν καὶ ἀνέμους καὶ*
ζῶα καὶ φυτὰ καὶ τ *ν· ἢ τοῦ ποιητικοῦ παιδὸς*
ἔσται φαυλότερος, ἢ *νη καὶ διαχεομένη πάλιν ὑφ'*
ἑαυτοῦ καὶ παίζει designari non est, quod negemus;
ab ipso Heraclito e quod negemus. Incendium illud
quidem universum (*ε* net; ceterum ipsa philosophi verba
nusquam inveniuntur mus exstent, minime dubitandum
est.[92]) Quae cum it s vel in mente habuisse vel diserte
laudasse cum per se ritate non satis probatur.

Quare ea, entibus nobis de Heracliti studiis
Homericis statuenda

1. Homeru ientissimus vel esset vel haberetur,
   tamen i bula illa de piscatorum aenigmate
   probavit.
2. Bellum persuasisset, Homerum, quod dis-
   cordiam t una cum illa simul universum
   mundu
3. Homeru uperasse, quod perverse dies aut
   faustos e cum iis humanorum animorum
   naturar re dixissent.
4. Ob ean s esse censuit, qui ex certaminibus
   eicerent

1. Heracli t haec:
2. Ut ve ri carminibus inveniri contendebant.
   Heracl Tethys origo deorum appellantur,
   tentiam significari putabant.
3. Θ 19 d nisi solem esse, in cuius motione
   mundi ione videntur affirmasse.

---

[90]) de inco ci esse putat, quo universi incendium commemoretur.
[91]) de *Ei*
[92]) Nihilo